

pida, quæ ex Vormaciensi foedere debebat, restitueret: ad hæc octoginta aureorum millia, quæ pro eo, quod superiori-
 bus annis Venetæ copiæ Cæsareanis junctæ non fuerant pete-
 bantur, sponte, non ex debito præstaturam. Deinde, si Rex
 quæ in Neapolitano regno loca obtinet, Imperatori restituat,
 idem de Apuliæ urbibus Rempublicam facturam, modo ii, qui
 ad illius partes accesserant, poena non mulctarentur. Mox quod
 ad Flaminiaæ urbes spectat, ni alia ratione res transigi possit,
 in auctoritate Regis futuras; donec jure disceptatio inter Pon-
 tificem, ac Rempublicam dirimatur. Demum Ferdinandus,
 uti quoque antea in aliis tabulis concordiaæ factum fuerat,
 cunctis assensurum, pacique subscripturum polliceretur.

Hæc Sebastiano Justiniano de pace agenda Senatus decreto scri-
 pta fuere vij. idus julii. Cæsar tandem pridie idus augusti Ge-
 nuam cum quinque, ac triginta triremibus, octoginta majori-
 bus navibus pervenit; octo peditum millia, mille equites ex
 Hispaniis secum advexerat, Savonæque exponi jusserat. Quo
 facilius in Cisalpinam Galliam iter arriperent, Placentiam pro-
 ficisci decreverat, præmissis qui copiis necessaria compararent;
 statimque Antonio Leva ad se vocato, quem post Franciscum
 Borbonium captum, & Gallos profligatos, mox in Venetos,
 qui tum ad Cassianum castrametabantur, irrito conatu exer-
 citum adduxisse diximus, de rerum in Insubribus statu plura
 egit. Aderant Antonio Levæ hoc tempore duodecim peditum
 millia: Arausionensis Princeps eodem tempore e Neapolita-
 norum finibus copias Spoletum adduxerat; eodem Pontificis
 milites advenere, qui, Barchinone clam cum Cæsare foedere
 inito, in gratiam redierat. Germani, decem millium peditum
 exercitu ad Banzanum oppidum lustrato, per Tridentinos sal-
 tus in Veronensem agrum descendere cœperant, ita ut Cæsa-
 ri quadraginta millia peditum adfutura constaret; præter equi-
 ratum, qui virtute plurimum pollebat, Burgundionibus Ger-
 manis adjectis, simul ad decem millia. Hoc Cæsaris adventu,
 quamvis ipse ad res componendas, ad pacem inter Principes
 firmandam se in Italiam profectum, non obscuris verbis signi-
 ficaret; attamen omnium Italarum Principum percussæ men-
 tes, ac sollicitæ, quonam ingens hic armorum terra, marique
 apparatus evasurus esset, cum nulla spes in Gallorum subsi-

*Cæsaris ad
 Genuam ad-
 ventus.*

*Fœdus inter
 Pontificem
 ac Cæsarem
 Barchino-
 ne initum*

*Cæsareani
 exercitus.
 Italarum
 Principum
 ob Cæsaris
 adventum
 cōsternatio.*